

CAPUT V.

(a) Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus: & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.

(b) Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

(c) Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

(d) Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

(e) Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

(f) Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

(g) Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

(h) Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.

(i) Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.

(k) Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

(l) Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita; neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in caelis est.

(m) Nolite autem putare quoniam veni solvere legem, aut Prophetas. Non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat caelum, & terra, jota unum, aut apex unus non praeerit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.

(n) Dico autem vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum, & pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennae ignis.

(o) Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

(p) Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.

(q) Audistis, quia dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.

(r) Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Expedi enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum quam totum corpus tuum mittatur in gehennam ignis. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te. Expedi enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.

(s) Dictum est autem: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari: & qui dimissam duxerit, adulterat.

(t) Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per caelum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Hierosolyam, quia civitas est magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est est, non non. Quod autem his abundantius est, a malo est.

(u) Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebere illi & alteram; & ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte

ei

CAPUT V.

ei & passum; & quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo. Qui autem petit a te, da ei, & volenti mutuari a te, ne avertaris.

(x) Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est, qui solem suum oritur facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester caelestis perfectus est.

(y) Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in caelis est.

(z) Cum ergo facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis, & vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente elemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit elemosyna tua in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

(a) *Chrysothomus super Matth. homil. 9.*

Operis imperf. in init. Omnis artifex secundum professionem suam, opportunitatem operis videns gaudet: carpentarius enim si viderit arborem bonam, concupiscit eam praedecere ad opus artificii sui; & sacerdos cum viderit Ecclesiam plenam, gaudet animas ejus, & delectatur, ut doceat. Sic & Dominus videns magnam congregationem populi, excitatus est ad docendum: unde dicit: *Videns autem turbas Jesus, ascendit in montem.* *Augustinus de Concord. Evang. (Lib. I. cap. 19.)* Vel hic potest videri multas turbas vitare voluisse, & ob hoc ascendisse in montem ut solis discipulis loqueretur. *Chrysothomus in hom. 15.* Per hoc autem quod non in civitate, & foro, sed in monte, & solitudine sedit, erudit nos nihil ad ostentationem facere, & a tumultibus abscedere (1) & praecipue cum philosophandum est, ac de rebus seriis differendum. *Remigius.* (2) Hoc enim sciendum est, quod tria refugia legitur Dominus habuisse, navim, montem, & desertum: ad quorum alterum quotiescumque a turbis opprimebatur, confugebat.

Hieronymus. (in cap. v. Matth.) Nonnulli autem simpliciorum fratrum putant, Dominum ea quae sequuntur in Oliveti monte docuisse; quod nequaquam ita est: ex praecedentibus enim, & sequentibus in Galilaea monstratur locus; quem putamus esse vel Thabor, vel quemlibet alium montem excelsum. *Chrysothomus super Matth. (hom. 9. oper. imperf. par. a princ.)* Ascendit autem in montem, primo quidem ut implet prophetiam Esaiæ dicentis (cap. 40.) „Super montem ascende tu;“ deinde ut ostendat quoniam in altitudine spiritualium virtutum consistere (3) debet qui docet Dei justitiam, pariter & qui audit: nemo enim potest in valle stare, & de monte loqui. Si in terra stas, de

terra loquere; si autem de caelo loqueris, in caelo consistere. Vel ascendit in montem, ut ostendat quod omnis qui vult discere mysteria veritatis, in montem Ecclesiae debet ascendere, de quo Propheta (Psalm. 67.) „Mons Dei, mons pinguis.“ *Hilarius* (can. 4. in Matth. sub initio.) Vel ascendit in montem, quia in paternae majestatis celsitudine positus; (4) caelestis vitae praecipua constituit. *Augustinus de Serm. Domini in monte (Lib. 1. cap. 1.)* Vel ascendit in montem, ut significet, quia minora erant praecipua iustitiae, quae a Deo data sunt per Prophetas populo Judaeorum, quem timore adhuc alligari oportebat; per Filium autem suum majora populo quem caritate jam convenerat liberari.

Sequitur: *Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.* *Hieronymus.* Ideo autem non stans, sed sedens loquitur, quia non poterat eum intelligere in sua majestate fulgentem. *Augustinus de Serm. Domini in monte (ibid.)* Vel quod sedens docebat, pertinet ad dignitatem Magistrati. *Accesserunt autem ad eum discipuli ejus,* ut audiendis verbis illius hi essent etiam corpore viciniore qui praecipis implendis animo appropinquabant. *Rabbanus.* Mystice autem sessio Domini, incarnatio ejus est: quia nisi Dominus incarnatus esset, humanum genus ad eum accedere non potuisset. *Augustinus de Concord. Evang. (Lib. 1. cap. 19. a med. illius.)* Movet autem quod Matthaeus in monte dicit hunc habitum esse sermonem a Domino sedente; Lucas autem in loco campestri a Domino stante. Haec igitur diversitas facit videri alium fuisse illum, alium istum. Quod enim prohibet Christum quaedam alibi repetere quae ante jam dixerat; aut iterum facere quae ante jam fecerat? Quamquam etiam possit illud occurrere, in aliqua excellentiori parte montis primo cum

(1) Al. & maxime cum de negotiis disputare oportet. (2) Al. Hic (3) Al. dicitur (4) Al. caelestia.

foliis discipulis Dominum fuisse, quando ex eis duodecim elegit; deinde cum eis descendisse non de monte, sed de ipsa montis celsitudine in campestrum locum, idest in aliquam equalitatem, quæ in latere montis erat, & multos capere poterat; atque ibi steritise donec ad eum turbæ congregarentur, ac postea cum sedisset, accessisse propinquius discipulos ejus; atque ita illis, ceterisque turbis præsentibus, unum habuisse sermonem, quem Matthæus, Lucasque narrant diverso narrandi modo, sed eadem veritate rerum. *Gregorius IV. Moral.* (sup. illud Job. 3. 23. *Aperuit Job os suum, & est cap. 5. in novis exemplaribus.*) Sublimia autem præcepta Domino in monte dicturo præmittitur: *Et aperiens os suum, docebat eos*, qui dudum aperuerat ora Prophetarum. *Remigius.* Ubi cumque autem legitur Dominus aperuisse os, inspicendum est, quia magna sunt quæ sequuntur. *Augustinus de Serm. Domini in monte (Lib. I. cap. 1.)* Vel dicit, *Aperiens os suum*, ut ipsa mora commendat aliquanto longiore futurum esse sermonem. *Chrysoströmus* (in homil. 15. par. à princ.) Vel hoc dicit, ut discas quoniam nunc quidem docebat, os aperiens in loquendo, nunc autem vocem, quæ est ab operibus, emittens. *Augustinus de Serm. Domini in monte (ubi supr.)* Si quis autem pie sobrièque consideraverit, inveniet in hoc sermone, quantum ad mores opportunos pertinet, perfectum vitæ christianæ modum: unde sic ipse sermo concluditur (cap. 7.) *omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti.* *Augustinus*, de Civit. Dei (Lib. 19. cap. 1.) Nulla autem est causa philosophandi, nisi finis boni: quod autem beatum facit, ipse est finis boni. Et ideo à beatitudine incipit dicens, *Beati pauperes spiritu.* *Augustinus*, de Serm. Domini in monte (Lib. 1. cap. 2.) Præsumptio quidem spiritus, audaciam, & superbiam significat. Vulgo etiam magnum spiritum superbi habere dicuntur, & recte: nam spiritus ventus vocatur: quis vero nesciat superbos inflatos dici, quasi ventos distentos? Quapropter recte hic intelliguntur *pauperes spiritu*, humiles, & timentes Deum, idest non habentes inflantem spiritum. *Chrysoströmus* in homil. (15. in Matth. parum à princ.) Vel spiritum hic elationem, & animum dicit: quia enim sunt multi humiles nolentes, rerum necessitate coacti, non est laus: unde illos beatificat, qui se ex electione humiliant. Ideo autem hic incipit radicibus evellens superbiam, quia hæc fuit radix, & fons malitiæ universæ: contra quam ponit humilitatem, velut quoddam stabile fundamentum: qua sub-

(1) *Al. Beati mendici, vel egeni.* (2) *Al. istud levius.*

jecta, cum stabilitate alia superadificatur; hæc autem destructa, pereant quæcumque congregaveris bona. *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 9. in opere imperf.) Ideo autem dixit manifeste: *Beati humiles spiritu*, ut sic humiles ostendat, ut semper adiutorium Dei sint mendicantes: unde in Græco dicitur: (1) *Beati ptochi*, idest mendici, vel egeni. Sunt enim multi naturaliter humiles; & non ex fide, qui non pulfant adiutorium Dei; sed solum qui secundum fidem, sunt humiles. *Chrysoströmus* in hom. (15.) Vel quia pauperes spiritu hic dicit formidantes, & trementes Dei iussiones, quomodo Dominus per Esaiam commendat. Quid autem amplius quam simpliciter humiles? Humilium enim hic quidem mediocriter est; hic autem superabundanter. *Augustinus* (Lib. I. de Serm. Domini in monte cap. 2.) Superbi ergo appetant regna terrarum; sed humilium est regnum cælorum. *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 9. operis imperf.) Nam sicut cætera vitia deponunt ad inferos, maxime tamen superbia; sic & omnes virtutes inducunt in regnum cælorum, maxime tamen humilitas: quia proprium est ut qui se humiliat exaltem. *Hieronymus* (super illud, *Beati pauperes spiritu.*) Vel beati pauperes spiritu, qui scilicet propter spiritum Sanctum voluntarie sunt pauperes. *Ambrosius* de Offic. (Lib. I. cap. 16.) Inde autem incipit beatitudo iudicio divino ubi æterna æstimatur humana. *Glossa* (interlin. super illud, *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.*) Pauperibus autem in præsentem convenienter promittuntur divitiæ cæli.

(b) *Ambrosius* super Lucam (Lib. 4. titulo de Beatitudinibus.) Cum simpliciter contentus fuero inops, superest ut mores meos temperem. Quid enim mihi prodest carere secularibus, nisi fuero mitis? Congruè igitur sequitur, *Beati mites.* *Augustinus* (Lib. I. de Serm. Dom. in monte cap. 3.) Mites sunt qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo; sed vincunt in bono malum. *Ambrosius* super Lucam (ut supra.) Mitiga ergo affectum tuum, ut non irascaris, aut certe iratus ne peccaveris. Præclarum est enim motum temperare consilio; nec minoris virtutis dicitur prohibere iracundiam, quam omnino non irasci; cum plerumque (2) illud lentius, hoc fortius æstimetur. *Augustinus* (de Serm. Dom. ubi supra.) Rixentur igitur immites; & dimicent pro terrenis, & temporalibus rebus; sed *beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram*, de qua evelli non possunt; illam, inquam, terra de qua in Psalmo 140. dicitur: „Portio mea in terra viventium.“ Sig-

nificat enim quandam stabilitatem hæreditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum tamquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra; & inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra: ipsa est requies, & vita sanctorum. *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 9. in opere imperf.) Vel terra hic, sicut quidam dicunt, quandiu est in hoc statu, terra mortuorum est; quia vanitati subiecta est; cum autem liberata fuerit de corruptione, sit terra vivorum, ut mortales hæreditent immortalem. Alterum exponentem legi, quasi cælum in quo habitaturi sunt sancti, dicatur terra vivorum; quod quantum ad inferiorem regionem cælum est, quantum autem ad superius cælum dicitur terra. Alii dicunt, quia corpus nostrum terra est, & quamdiu subiacet morti, terra est mortuorum; cum autem fuerit conforme factum gloriæ corporis Christi, erit terra vivorum. *Hilarus* (can. 4. in Matth. paulo à principio.) Vel hæreditatem terræ miribus Dominus pollicetur, idest ejus corporis quod ipse assumpsit habitaculum: (1) & quia per mansuetudinem mentis nostræ habitat Christus in nobis, nos quoque glorificati corporis ejus gloria vestiemur. *Chrysoströmus* in hom. (15. in Matth. super illud, *Quoniam ipsi possidebunt terram.*) Vel aliter Christus hic spiritalibus sensibilibus immiscuit: quoniam enim æstimatur qui mitis est omnia sua perdere, contrarium promittit, dicens, quod cum stabilitate sua possidet qui non est proterbus; qui autem aliter est, multoties animam, & hæreditatem paternam perdit. Quia vero Propheta dixerat (Psalm. 36.), „Mansueti hæreditabunt terram,“ à confuètis verbis contextit sermonem. *Glossa.* Mites etiam, qui seipsos possederunt, hæreditatem patris in futuro possidebunt. (2) Plus autem est possidere quam habere: multa enim habemus quæ statim amittimus.

(c) *Ambrosius* super Lucam (Lib. 4. in Lucam in titulo de Beat. circa med.) Cum hoc feceris, ut scilicet sis pauper, & mitis, memento quia peccator es; lugere peccata (3) tua: unde sequitur, *Beati qui lugent.* Et bene tertia benedictio est peccata desistentis, quia Trinitas est: quæ peccata condonat. *Hilarus* (can. 4. in Matth.) Lugentes enim hic dicuntur non orbitates, aut contumelias, aut damna moerentes; sed peccata vetera sientes. *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 9. operis imperf. ante med.) Et *S. Thom. Op. Tom. VIII.*

qui sua quidem peccata lugent, beati sunt, sed mediocriter; beatiores autem sunt qui aliena lugent peccata, tales convenit esse omnes doctores. *Hieronymus* (super illud, *Beati qui lugent.*) Luctus enim hic non mortuorum ponitur communi lege nature, sed peccatorum, & vitiorum mortuorum. Sic flevit Samuel Saullem, & Paulus eos qui post inmunditiam penitentiam non egerunt. *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 9. operis imperf.) Cum autem consolatio sit lugentium cessatio luctus; quia sua peccata lugent, consolabuntur indulgentiam consecuti. *Chrysoströmus* in hom. 15. Et licet talibus sufficiat venia frui, non terminat retributionem in peccatorum remissione, sed & multarum facit participes consolationum & hic, & in futuro. Semper enim majores laboribus Deus dat retributiones. *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 9. operis imperf.) Qui vero aliena peccata lugent, consolabuntur, qui cum in sæculo illo providentiam cognoverint Dei, & intellexerint quod qui perierunt non fuerunt Dei, de cuius manu nemo rapere potest, de eis, luctu derelicto, in sua beatitudine lætabuntur. Vel aliter *Augustinus* in Serm. Domini in monte (Lib. 1. cap. 4. in princ.) Luctus est tristitia de amissione carorum. Conversi autem ad Deum ea quæ in hoc mundo cara habebant, amittunt: non enim gaudent his rebus quibus ante gaudebant, & donec fiat in illis amor æternorum, nonnulli lætitia fauciantur. Consolabuntur ergo Spiritu Sancto, qui maxime propterea Paraclitus nominatur, idest consolator, ut temporalem amittentes, æterna lætitia persuantur: & ideo dicit: *Quoniam ipsi consolabuntur.* *Glossa.* Vel per luctum duo genera compunctionis intelliguntur, scilicet pro miseris hujus mundi, & pro desiderio cælestium: unde filia Caleph petivit irriguum superius, & inferius. Hujusmodi autem luctus non habet nisi pauper, & mitis, qui cum mundum non diligat, quod miser est recognoscit, & ideo cælum concupiscit. Convenienter ergo lugentibus promittitur consolatio, ut qui tristitatus est in præsentem, gaudeat in futuro. Major est autem retributio lugentis quam pauperis, & mitis: plus enim est gaudere in regno, quam habere, & possidere: multa enim cum dolore possidemus. *Chrysoströmus* in hom. 5. Notandum (4) autem, quod hæc beatitudinem non simpliciter, sed omnino cum intentione, &

T. III. C. V. CU.

cumulo posuit; ideoque non dixit, Qui marent, sed *Qui lugent*. Siquidem præceptum istud totius philosophiæ magisterium est. Si enim qui filios, vel proximos mortuos lugent, toto illo doloris sui tempore nec pecuniarum, nec gloriæ amore tenentur, non invidia consumuntur, non iniuriis pomponentur, nec aliis vitis obdidentur, utpote solis luctibus mancipati; multo magis qui propria peccata lugent, sicut ea lugere dignum est, celsiorem hanc philosophiam debent ostendere.

(d) *Ambrosius* super *Lucam* (Lib. 4. tit. de *Beatit.*) Postquam delicta deservi, esurire incipio, & sitire justitiam. Ager enim cum in gravi morbo est, non esurit: unde sequitur: *Beati qui esurunt, & sitiunt justitiam. Hieronymus* (super illud, *Beati qui esurunt.*) Non nobis sufficit velle justitiam, nisi justitiæ patiamur famem, ut sub hoc exemplo numquam nos satis justos, sed semper esurire justitiæ opera intelligamus. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 9. operis imperf. circa med.) Quoniam omne bonum quod non ex amore ipsius boni faciunt homines, ingratum est ante Deum. Esurit autem justitiam qui secundum justitiam Dei desiderat conversari; sicut autem justitiam qui scientiam ejus acquirere cupit. *Chrysostomus* in hom. (15. super illud, *Beati qui esurunt.*) Justitiam autem dicit vel universalem, vel particularem avaritiæ contrariam. Quia enim de misericordia dicturus erat, præmonstrat qualiter misereri oporteat, quia non ex rapina, neque ex avaritia: unde etiam quod est avaritiæ proprium, scilicet esurire, & sitire, justitiæ attribuit. *Hilarius* (can. 4. in *Matth.*) Sicentibus autem, & esurientibus justitiam, beatitudinem tribuit, significans extensam in Dei doctrinam sanctorum aviditatem perfectam in cælo satietate repleri: & hoc est quod dicitur: *Quoniam ipsi saturabuntur. Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 9. operis imperf.) Scilicet largitate remunerantis Dei, quoniam majora erunt præmia Dei quam sanctorum desideria. *Augustinus* de *Serm. Domini* (Lib. 1. cap. 2.) Vel illo cibo saturabuntur in præsentem de quo Dominus dicit (Joann. 4.) „Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei:“ quod est justitia: & illa aqua de qua (ibid.) „quisque biberit, fiet ei fons aquæ salientis in vitam æternam.“ *Chrysostomus* in hom.

(1) *Al.* Vel in hoc terrenum præmium determinat: quia enim æstimatur avaritia abundantes facere, ipse contrarium dicit quod justitia hoc operatur: qui enim justitiam capit, omnia cum stabilitate habet. (2) *Al.* in mundis corde: item immundis cordibus, (3) *Al.* credatur.

Ex edit. P. NICOL. (a) Vel potius Anselmus, ut jam supra; nec tale quiddam indicatur in Glossa quæ nunc extat. (b) Nec sic iterum Glossa, sed Anselmus, his verbis levissime dumtaxat immutatis, nec eadem serie sibi junctis. Aliud vero quiddam Glossa, etiam non dissimili sensu, sed minus pleno.

15. Vel (1) rursus sensibile præmium statuit: quia enim plurimos divites facere putatur avaritia, dicit hoc esse contrarium, magisque id præstare justitiam: qui enim justitiam diligit, tutissime omnia possidet.

(c) *Glossa.* Justitia, & misericordia ita conjunctæ sunt, ut altera ab altera debeat temperari: justitia enim sine misericordia crudelitas est; misericordia sine justitia, dissolutio: unde de misericordia post justitiam subdit, dicens: *Beati misericordes. Remigius.* Misericors dicitur, quasi miserum habens cor: quia alterius miseriam quasi suam reputat, & de malo alterius quasi de suo dolo. *Hieronymus* (super illud, *Beati misericordes.*) Misericordia hic non solum in elemosynis intelligitur, sed in omni peccato fratris, si alter alterius onera portemus. *Augustinus* de *Serm. Domini* in monte (Lib. 1. cap. 2. vel 6.) Beatos autem dicit esse qui subveniunt miseris, quoniam eis ita rependitur ut de miseria liberentur: unde sequitur *Quoniam ipsi misericordiam consequentur. Hilarius* (can. 4. in *Matth.*) Intantum enim Deus benevolentiam nostram in omnes delectatur affectu, ut suam misericordiam sit solis misericordibus præstaturus. *Chrysostomus* in hom. 15. Videtur autem esse æqualis retributio; sed est multo major: non enim est æqualis humana misericordia, & divina. *Glossa.* (a) Merito ergo misericordibus misericordia penditur, ut plus accipiant quam meruissent: & sicut plus recipit qui ultra futuritatem habet quam ille qui habet tantum ad futuritatem; sic major est gloria misericordiarum quam precedentium.

(f) *Ambrosius* super *Lucam* (Lib. 4. in titulo de *Beatit.* circa med.) Qui misericordiam deserit, misericordiam amittit, nisi mundo corde misereatur: nam si jactantiam querit, nullus est fructus: unde sequitur, *Beati mundo corde. Glossa.* (b) Convenienter autem sexto loco ponitur cordis munditia, quia sexto die homo conditus est ad imaginem Dei; quæ quidem obtenebrata erat in homine per culpam, sed (2) in mundis cordibus reformatum per gratiam. Merito autem post prædicta sequitur, quia nisi illa præcedant, mundum cor in homine non (3) creatur. *Chrysostomus* in hom. 15. Mundos autem hic ait vel eos qui universalem virtutem possident, & nullius sibi malitiæ consi-

cii sunt, vel eos qui in temperantia consistunt, quæ maxime necessaria est ad vivendum Deum, secundum illud Pauli (Hebr. 12.) „Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, si ne qua nemo videbit Deum.“ Quia enim multi miserentur quidem, sed impudica agunt; monstrans quod non sufficit primum, scilicet misereri, hoc de munditia apponitur. *Hieronymus* (super illud, *Beati mundo corde.*) Mundus autem Deus à mundo corde concupiscitur: templum enim Dei non potest esse pollutum: & hoc est quod dicitur: *Quoniam ipsi Deum videbunt. Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 9. in opere imperf.) Qui enim omnem justitiam facit, & cogitat, mente sua Deum videt: quoniam justitia figura est Dei, Deus enim justitia est. Secundum ergo quod aliquis eripuerit se à malis, & fecerit bona, secundum hoc Deum videt, aut parum, aut amplius, aut interdum, aut semper, secundum possibilitatem humanam. In sæculo autem illo mundi corde Deum videbunt facie ad faciem, non in speculo, & in enigmate, sicut hic. *Augustinus* in *Serm. Domini* in monte (Lib. 1. cap. 2. vel 7.) Stulti autem sunt qui Deum videre istis exterioribus oculis querunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est (Sap. 1.) „In simplicitate cordis querite illum:“ hoc enim est simplex cor quod mundum cor. *Augustinus* ult. de *Civit. Dei* (cap. 49.) Si autem tantum poterunt in corpore spiritali oculi etiam ipsi spirituales quantum possunt isti quales nunc habemus, proculdubio per eos Deus videri non poterit. *Augustinus* in 1. de *Trinit.* (cap. 8. & 13.) Hæc autem visio merces est fidei; cui mercedi per fidem corda mundantur, sicut scriptum est (Act. 15.) „Mundans fide corda eorum.“ Hoc autem probatur illa maxime sententia: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Augustinus* super *Gen.* ad litteram (Lib. 12. cap. 25.) Nemo autem videns Deum vivit vita ista qua mortaliter vivitur, & istis sensibus corporis. Sed nisi ab hæc vita quisque funditus moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita alienatus à carnalibus sensibus ut merito nesciat, sicut ait Apostolus, utrum in corpore, an extra corpus sit, non in illam subvehitur visionem. *Glossa.* Majorem autem remunerationem isti habent quam primi; sicut qui in curia Regis non solum prandet, sed etiam faciem Regis videt.

(g) *Ambrosius* super *Lucam* (Lib. 4. super *Lucam* in titulo de *Beatit.* in med.) Cum in-

teriora tua vacua feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones, contentionesque ex affectu tuo prodeant, à te pacem incipe, ut sic pacem aliis feras: unde sequitur, *Beati pacifici. Augustinus* 19. de *Civit. Dei* (cap. 13. sub init.) Est autem pax tranquillitas ordinis. Ordo autem est parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio. Sicut autem nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit; quandoquidem ipsi qui bella volunt, nihil aliud quam ad gloriosam pacem cupiunt bellando pervenire. *Hieronymus* (hoc loco.) Pacifici autem dicuntur beati, qui primum in corde suo, deinde & inter fratres dissidentes faciunt pacem. Quid enim prodest alios per te pacari, cum in tua anima sicut bella vitorum? *Augustinus* in *Serm. Domini* in monte (Lib. 1. cap. 2. vel 8.) Pacifici autem in semetipsis sunt qui omnes animi sui motus componentes, & subjicientes rationi, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, sunt regnum Dei: in quo ita ordinata sunt omnia ut quod est in homine præcipuum, & excellens, imperet ceteris reluctantibus, quæ sunt nobis, bestisque communia, atque idipsum quod excellit in homine, ideis mens, & ratio subjiçitur (1) potiori, quod est ipsa veritas Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest nisi superioribus subjiçitur. Et hæc est pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis. *Augustinus* in *Lib. Retract.* (Lib. 1. cap. 19. sub initio.) Non tamen cuiquam provenire potest in hac vita ut lex repugnans legi mentis omnino non sit in membris. Sed hoc nunc pacifici agunt demandando concupiscentias carnis, ut ad pacem plenissimam quandoque veniant. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 9. operis imperf. à med.) Pacifici autem ad alios sunt non solum qui inimicos in pace reconciliant, sed etiam illi qui immemores malorum, diligunt pacem. Pax enim illa beata est quæ in corde posita est, non tantum in verbis. Qui autem pacem diligunt, filii sunt pacis. *Hilarius* (can. 4. super *Beati pacifici.*) Pacificorum autem beatitudo, adoptionis est merces; & ideo dicitur: *Quoniam filii Dei vocabuntur.* Parens enim omnium Deus noster est, neque aliter transire in nuncupationem familiæ ejus hæbit, nisi fraternæ invicem caritatis pace vivamus. *Chrysostomus* in hom. 15. Vel (2) cum pacifici dicantur qui non adversum se mutuo dimicant, sed alios dissidentes in concordiam revocant, jure etiam filii Dei appellantur: quia Unigeniti hoc præcipuum fuit opus, distantia

(1) *Al.* peccatori. (2) *Al.* Vel quia pacifici dicuntur qui nec litigant, nec adiunt ad invicem, sed & congregant litigantes; recte filii Dei vocantur, quia Unigeniti hoc est opus, congregare dispersa, & pacificare contra se præliantia.

copulare, conciliare pugnantia: *Augustinus* (Lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 2. vel cap. 8.) Vel quia in pace perfectio est, ubi nihil repugnat, pacifici filii Dei dicuntur, quoniam nihil resistit Deo: & utique filii Dei similitudinem (1) Patris debent habere. *Glossa.* (a) Maximam ergo dignitatem habent pacifici; sicut qui filius Regis dicitur, in domo (2) regia summus est. Septimo autem loco beatitudo hæc ponitur, quia in sabbato veræ requiei (3) dabitur pax, sex ætatibus transactis.

(b) *Chrysostomus* in hom. 15. Postea pacificorum beatitudine, ne aliquis existimaret quod semper pacem sibi quaerere fit bonum, subdit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, hoc est propter virtutem, propter defensionem aliorum, propter pietatem: iustitiam enim confuevit pro omni virtute animæ ponere. *Augustinus* in Serm. Domini in monte (Lib. 1. cap. 2. vel 8.) Pace enim intrinsecus constituta, ac firmata, quascumque perfectiones ille qui foras missus est, forissecus concitauerit, (4) aut gesserit, auget gloriam quæ secundum Deum est. *Hieronymus* (super illud, *Beati qui persecutionem patiuntur.*) Signanter autem addidit, *Propter iustitiam*: multi enim propter sua peccata persecutionem patiuntur, & non sunt iusti. Simulque considera, quod octava veræ circumcissionis beatitudo martyrio terminetur. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 9. op. imperf.) Non autem dixit: *Beati qui à Gentibus persecutionem patiuntur*: ne putes illum solum beatum qui persecutionem patitur propter idola non colenda; ideo & ab hæreticis persecutionem patiens propter veritatem non relinquendam beatus (5) est, quia propter iustitiam patitur. Sed & si quis ex potentibus, qui Christiani videntur, forsitan propter sua peccata correctus à te, fuerit persecutus; beatus es cum Joanne Baptista. Si enim verum est quod Prophetæ martyres sunt, qui à suis occisi sunt; sine dubio qui propter causam Dei aliquid patitur, etsi à suis patitur, mercedem martyrii habet. Et ideo non posuit Scriptura personas persequentium, sed solam causam persecutionis, ut non apicias quis te persequitur, sed propter quod. *Hilarius* (can. 4. in Matth. super illud, *Beati qui persecutionem patiuntur.*) Sic ergo ad postremum eos in beatitudine numerat quibus omnia pro Christo pati, qui iustitia est, pronus affectus est. His igitur & regnum seruat, qui in contemptu sæculi sunt pauperes

(1) *Al.* pacis. (2) *Al.* Regis. (3) *Al.* dabitur vera pax, sed ætatibus transactis. (4) *Al.* auget. (5) *Al.* esse. (6) *Al.* &. (7) *Al.* post resurrectionem tuam, terram, &c.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Vel potius Anselmus, ut jam supra, non hac serie tantum, sed prioribus posteriora multo ante præmittens; nec horum quidquam *Glossa* quæ nunc extrat.

tribus: quia unicum remedium est de tantis malis erui, dimittere aliis, & dare. Sexta est intellectus, & convenit mundis corde, qui purgato oculo possunt videre quod oculus non vidit. Septima est sapientia, quæ convenit pacificis, in quibus nullus motus est rebellis, sed obtemperat spiritui. Unum autem præmium, quod est regnum caelorum, varie nominatum est. In primo, sicut oportebat, positum est regnum caelorum, quod est perfectæ sapientiæ initium; ac si diceretur (Psalm. 110.) „Initium sapientiæ timor Domini.“ Mitibus hereditas tamquam testamentum patris cum pietate quaerentibus. Lugentibus consolatio, tamquam scientibus quid amiserunt, & in quibus meriti sunt. Esurientibus saturitas, tamquam selectio laborantibus ad salutem. Misericordibus misericordia, tamquam optimo consilio utentibus, ut hoc eis exhibeatur quod exhibent. Mundis corde facultas videndi Deum, tamquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus. Pacificis Dei similitudo. Et ista quidem in hac vita possunt compleri, sicut completa esse in Apostolis credimus: nam quod post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest.

(i) *Rabbanus*. Superioribus sententias generaliter (1) dirigebat: jam incipit loqui præfentes compellens, prædicans eis perfectiones quas pro nomine ejus passuri erant, dicens: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos.* *Augustinus* (Lib. 1. cap. 3. vel 9. de Serm. Domini.) Quæri autem potest quid interfit quod ait, *Cum vobis maledixerint, & dicent omne malum;* cum maledicere hoc sit malum dicere. Sed aliter est maledictum iactatum cum contumelia coram illo qui maledicitur, aliter cum absentis fama læditur. Persequi autem est vim inferre, vel insidias appetere. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 9. op. imp.) Si autem verum est quoniam qui calcem aquæ portexerit, merces ejus non perit; consequenter qui vel unius levissimi verbi injuriam fuerit passus, vacuus non erit à mercede. Ut autem blasphematus sit beatus, duo convenire debent, ut & mendaciter blasphemetur, & propter Deum; alioquin si unum defuerit, non est beatitudinis merces. Et ideo dicit, *Mentientes propter me.* *Augustinus* (Lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 9.) Quod propter illos dictum puto qui volunt de persecutionibus, & de fama suæ turpitudinis gloriari; & ideo dicere ad se pertine-

re Christum, quod multa de illis dicuntur mala; cum & vera dicantur, quando de errore illorum dicuntur; & si aliquando falsa iactantur, non tamen propter Christum ista patiuntur. *Gregorius* super Ezechielem (hom. 9. paulo ante med.) Quid autem poterit obesse si homines vobis derogent, & sola vos conscientia defendat? Sed tamen linguas detraherentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant; ita per suam malitiam excitatum debemus equanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat: unde & hic dicitur: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* *Glossa* (a) (interlinearis) *Gaudete* mente quidem, & exultate corpore, quia merces vestra, non tantum magna est, sicut aliorum, sed copiosa est in caelis. *Augustinus* (Lib. 1. Serm. Domini in monte cap. 9.) Non hic caelos puto dici superiores partes hujus visibilis mundi: non enim merces vestra in rebus visibilibus collocanda est; sed *In caelis dictum* puto in spiritualibus firmamentis, ubi habitat sempiterna iustitia. Sentiant ergo istam mercedem qui gaudent spiritualibus; sed ex omni parte perficietur, cum mortale hoc induerit immortalitatem. *Hieronymus* (hoc loco.) Gaudere igitur, & exultare debemus, ut merces nobis in caelestibus præparetur. Hoc qui vanam sectatur gloriam, implere non potest. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 9. operis imperf.) Quia quantum aliquis lætatur de laude hominum, tantum de vituperatione tristatur. Qui vero gloriam concupiscit in caelo, opprobria non timeas in terris. *Gregorius* super Ezech. (hom. 9.) Aliquando tamen detractores debemus compelescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire à nobis bona poterant, corda innocentia corrumpant. *Glossa* (b) Non solum autem præmio, sed etiam exemplo eos ad patientiam provocat, cum subdit: *Sic enim persecuti sunt Prophetæ, qui fuerunt ante vos.* *Remigius*. Magnam enim consolationem accipit homo in tribulatione positus, dum recordatur passionum aliorum, à quibus exemplum patientiæ accipit; ac si diceret: Memento quia illius vos estis Apostoli cuius & illi fuerunt Prophetæ. *Chrysostomus* in hom. (15. super illud, *Si persecuti sunt Prophetæ.*) Simul etiam insinuat, coequalitatem sui honoris ad Patrem; ac si dicat: Sicut illi propter Patrem, ita & vos propter me patientini. Cum etiam dixit, *Prophetæ qui fuerunt ante vos*, monstret & ipsos Prophetas jam factos. *Augustinus* (de Serm. Domini in monte cap. 9.) Persecutionem autem hic gene-

(1) *Al.* digerebat.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Hoc Anselmi est, etsi ex parte *Glossa* interlinealis insinuet.

(b) Insinuat tantum ibi, non expresse habetur, nec expressius in Anselmo.

raliter posuit, & in maledictis, & in laceratione sanæ.

(k) *Chrysofomus* in hom. 15. (1) Quoniam sublimia præcepta Apostolis dederat, & multo quam in lege veteri majora; ne turbarentur, ac dicerent, Quoniam modo hæc implere poterimus? eos laudum admixtione permulcet, dicens: *Vos estis sal terræ*: per quod ostendit quam necessarie ista præcipiat. Non enim pro vestra, inquit, salute tantummodo, aut pro una solum gente, sed pro universo profus orbe hæc vobis doctrina committitur. Proinde non oportet vos adulari, atque palpare; sed è contrario. falsis instar mordicare. Quod si homines mordendo, ac perstringendo, male audieritis, gaudete: hoc enim falsis est opus, laxa quæque mordicare, atque restringere. Sic itaque aliorum maledictio nihil vobis afferet incommodi; sed vestre potius firmitatis testimonium erit. *Hilarius* (can. 4. super illud, *Vos estis sal.*) Est autem hic proprietas querenda dictionum, quam & Apostolorum officium, & ipsius falsis natura monstrabit. Hoc igitur in omnem usum humani generis effectum incorruptionem corporibus, quibus fuerit aspersum, impartit, & ad omnem sensum conditi saporis aptissimum est. Apostoli autem sunt rerum caelestium prædicatores, & æternitatis velut (2) salitores: merito sal terræ nuncupati, quia per virtutem doctrinæ quasi salientes, æternitati corpora servant. *Remigius*. Sal etiam per aquam, & ardorem solis, & per statum venti in naturam alteram commutatur; sic & apostolici viri per aquam baptismi, & ardorem dilectionis, & statum Spiritus Sancti in spiritalem regenerationem commutati sunt. Sapiencia etiam caelestis, per Apostolos prædicata, exsiccat humores carnalium operum, auferit fetorem, & putredinem malæ conversationis, & vermem libidinosæ cogitationis, & illum de quo dicit Propheta (Esaï. 66.) „ Vermis eorum non moritur. “ *Remigius*. Sunt Apostoli sal terræ, idest hominum terrenorum, qui amando terram, terra vocantur. *Hieronymus* (super illud, *Vos estis.*) Vel Apostoli sal terræ appellantur, quia per illos universum hominum conditur genus. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 10. op. imperf.) Doctores enim cum fuerit omnibus prædictis virtutibus ornatus, tunc est quasi optimum sal, & totus po-

(1) *Al.* Quia excelsa præcepta discipulis dederat, ut non dicerent, Quæter poterimus ea servare? eos laudibus mitigat, dicens: *Vos estis sal terræ*: in quo monstrat quod necessario hæc injungit: non enim pro vestra vita, aut pro una gente, sed pro universo mundo vos mittit. Et si alios mordentes, mala auditis, gaudete: hoc enim est opus falsis mollia mordicare. Quare aliorum maledictio nihil vobis nocet; sed est testis vestræ virtutis. (2) *Al.* fautores. (3) *Al.* ita ut.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Immo Anselmus, ut jam supra, nec nisi partem, veluti obiter Glossa interlinealis insinuat.

pulus de illo conditur videndo eum, & audiendo. *Remigius*. Et sciendum quia nullum sacrificium offerbatur Deo in veteri testamento nisi prius condiretur sale: quia nullus potest laudabile sacrificium Deo offerre absque sapore caelestis sapientie. *Hilarius* (can. 4. ibid.) Verum quia conversioni homo subjacet, ideo Apostolos sal terræ nuncupatos monet in tradita sibi potestatis virtute persistere, cum subdit: *Quod si sal evanuerit, in quo salitur?* *Hieronymus* (ibidem) Idest si doctor erraverit, à quo alio doctore emendabitur? *Augustinus* (Lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 10.) Et si vos, per quos cædendi sunt populi, metu persecutionum temporalium, amiseritis regna caelorum; qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur? Alia littera habet: *Si sal infatuatum fuerit ostendens fatuos esse judicandos qui temporalium honorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri. Hilarius* (can. 4. ibid.) Si autem doctores infatuati nil saliant, & ipsi sensu accepti saporis amisso vivificare non possunt corrupta, redduntur inutilis: unde sequitur: *Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Hieronymus* (super illud, *Ad nihilum valet ultra.*) Exemplum de agricultura sumptum est. Sal enim ut in condimentum ciborum, & ad sacandas carnes necessarium est, ita alium usum non habet. Certe legimus in Scripturis urbes quasdam ira victorum sale feminatas, (3) ut germen nullum in ipsis oriretur. *Glossa*. (a) Postquam ergo illi capita sunt aliorum, defecerint, nulli usui apti sunt, nisi ad hoc ut mittantur foras ab officio docendi. *Hilarius* (can. 4. super illud, *Vos estis sal terræ.*) Vel etiam de Ecclesiæ promptuariis projecti, pedibus incedentium conterantur. *Augustinus* (ubi supra.) Non autem calcatur ab hominibus qui patitur persecutionem, sed qui persecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior; inferior autem non est qui quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen in celo fixus est.

(1) *Chrysofomus* super Matth. (hom. 10. op. imperf.) Sicut doctores propter bonam conversationem sunt sal, quo populus conditur; ita propter verbum doctrinæ sunt lux, quæ igitur

norantes illuminantur. Prius autem est bene vivere, quam bene docere: & ideo postquam Apostolos dixerat sal, consequenter vocat eos lucem, dicens: *Vos estis lux mundi*. Vel quia sal in eo statu tenet ne ad deterius mutetur, lux autem ad melius perducit illustrando: propter quod Apostoli dicti sunt prius sal propter Judæos, & propter populum Christianum, à quibus Deus cognoscitur, quos servant in Dei scientia; lux autem propter Gentes, quas ad scientiam lumen perducunt. *Augustinus* (Lib. 1. de Serm. Domini cap. 11.) Oportet autem hic mundum non caelum, & terram, sed homines, qui sunt in mundo, intelligi, vel qui diligunt mundum, quibus illuminandis Apostoli missi sunt. *Hilarius* (can. 4. super illud, *Vos estis sal terræ.*) Natura enim luminis est ut lucem, quocumque circumferatur, emittat, illarumque ædibus tenebras interimat, luce dominante. Igitur mundus extra cognitionem Dei positus, (1) obscurus tenebatur ignorantie tenebris, cui per Apostolos scientiæ lumen invehitur, & cognitio Dei claret, & de parvis eorum corpusculis, quocumque inceserint, lux tenebris ministratur. *Remigius*. Sicut autem sol dirigit radios suos, ita & Dominus, qui est sol justitiæ, direxit Apostolos suos ad effugandas humani generis tenebras. *Chrysofomus* in hom. (15. super illud, *Non potest abscondi civitas.*) Intellige autem quam magna eis promittit, ut qui in regione propria cogniti non erant, ad fines orbis terrarum eorum veniret fama. Nec persecutiones quas prædixerat, eos potuerunt occultare; sed propter hoc magis præclari redduntur. *Hieronymus* (super illud, *Vos estis lux mundi.*) Ne autem Apostoli abscondantur ob metum, sed tota libertate se prodant, doceat eos fiducia prædicandi, cum consequenter dicit: *Non potest civitas abscondi supra montem posita. Chrysofomus* in hom. (15. à med.) Per hoc etiam eos docet esse sollicitos de propria vita, quasi in oculis omnium positos, sicut civitas quæ est supra montem posita, vel lucerna supra candelabrum lucens. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 10. op. imperf. super illud, *Non potest civitas abscondi.*) Hæc autem civitas Ecclesia sanctorum est, de qua dicitur Psalm. 86. „ Glo- riosa dicta sunt de te, civitas Dei. “ Cives ejus sunt omnes fideles, de quibus Apostolus Ephes. 2. „ Vos estis cives sanctorum. “ Hæc ergo civitas posita est supra montem Christum, de quo Daniel (cap. 2.) „ Lapis abscessus sine manibus, factus est mons magnus. “ *Augustinus*

(1) *Al.* obscuratur ignorantie tenebris. (2) *Al.* Ego quidem lucernam accendi; vestri autem erit studii eam manere ardentem, non solum propter vos &c. (3) *Al.* per prædicationem. (4) *Al.* deest bonæ.

tinus (Lib. 1. de Serm. Domini cap. 12.) Vel posita est supra montem, idest supra magnam justitiam, quam significat mons, in quo disputat Dominus. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 10. in oper. imperf. ibid.) *Non potest ergo civitas abscondi posita supra montem*, etiam si ipsa voluerit: mons enim qui eam portat, facit eam omnibus manifestam: sic & Apostoli, & sacerdotes, qui fundati sunt in Christo, non possunt esse absconditi, etiam si voluerint, quia Christus eos manifestat. *Hilarius* (can. 4. super eodem verbo.) Vel civitatem, carnem quam assumpsit nuncupat: quia in eo per naturam suscepti corporis, quedam humani generis congregatio continetur; & nos per consortium carnis suæ sumus habitatio civitatis. Abscondi ergo non potest, quia in altitudine positus celsitudinis Dei, admiratione operum suorum offertur omnibus contemplandus. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 10. in opere imperf.) Quare autem sanctos suos Christus manifestet, & non finat eos esse absconditos, per alteram comparisonem ostendit, cum subditur: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum. Chrysofomus* in hom. 15. Vel per hoc quod dixit, *Non potest civitas abscondi*, demonstravit suam virtutem; in hoc autem quod subdit: *Neque accendunt lucernam*, eos inducit ad liberam prædicationem; ac si diceret: (2) Ego quidem lucernam accendi; ut vero perseveret ardens, vestri erit studii, non solum propter vos, sed propter alios, qui illuminabuntur, sed & propter gloriam Dei. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 10. op. imperf.) Lucerna est verbum divinum, de quo dictum est (Psal. 118.) „ Lucerna pedibus meis verbum tuum. “ Accendentes lucernam sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. *Augustinus* (Lib. 1. de Serm. Domini cap. 12.) Quid autem putamus dictum esse, *Et ponunt eam sub modio? Ut occultatio tantum lucernæ accipienda sit (tanquam si diceret: Nemo accendit lucernam, & occultat eam:)* an aliquid etiam modius significat: ut hoc sit ponere lucernam sub modio, superiora facere corporis commoda (3) quam prædicationem veritatis? Sub modio ergo lucernam ponit quisquis lucem doctrinæ (4) bonæ commotis temporalibus obcurat, & tegit. Et bene modius dicitur res corporalis, sive propter retributionem mensuræ, quia ea quisquis recipit quæ gessit in corpore; sive quia temporalia bona, quæ corpore peraguntur, circa dierum mensuram; quam

fig-

significat modius, inchoantur, & transeunt; aeterna vero, & spiritalia nullo tali fine coercentur. Super candelabrum autem lucernam ponit qui corpus suum ministerio verbi subicit, ut superior sit predicatio veritatis, & inferior servitus corporis: per ipsam enim corporis servitutem excelsior luget doctrina, dum per vocem, & ceteros corporis motus (1) in bonis operibus insinuat discipulis. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 10. in opere imperf.) Vel modii sunt homines mundiales: quoniam sicut modii desuper quidem vacui sunt, subtrus autem pleni; sic omnes mundi amatores in rebus spiritalibus infensari sunt, in terrenis autem sapientes; & ideo quasi modius verbum Dei tenet absconditum, quando propter aliquam causam terrenam verbum Dei non est ausus palam proloqui, nec fidei veritatem. Candelabrum est Ecclesia, quae bajulat verbum vitae, & omnis ecclesiasticus vir. *Hilarius* (can. 4. super illud, *Et ponunt eam sub modio.*) Vel synagogam Dominus modio comparavit, quae susceptos fructus intra se tantum receptans, certum modium (2) dimensae observantiae continebat. *Ambrosius* super *Lucam* (loco citato super his verbis) Et ideo nemo fidem suam intra mensuram legis includat, sed ad Ecclesiam conferat, in qua septiformis Spiritus relucet gratia. *Beda* in hom. (1. super illud, *Nemo lucernam accendit.*) Vel ipse Christus accendit lucernam, qui (3) testam humanæ naturæ flamma suæ divinitatis implevit; quam nec credentibus abscondere, nec modio supponere, hoc est sub mensura legis includere, vel intra unius gentis terminos noluit cohibere. Candelabrum Ecclesiam dicit, cui lucernam superposuit, quia nostris in frontibus fidem suæ incarnationis affixit. *Hilarius* (can. 4. super illud, *Et ponunt eam sub modio.*) Vel lucerna Christi ponitur (4) in candelabro, id est in ligno per passionem suspensa, quæ lumen æternum est in Ecclesia habitantibus præbitura: & ideo dicit: *Ut luceat omnibus qui in domo sunt.* *Augustinus* (de *Serm. Domini*, ut supra.) Si quis enim domum vult accipere Ecclesiam, non est absurdum. Vel domus est ipse mundus, propter id quod superior ait: *Vos estis lux mundi.* *Hilarius* (can. 4. super illud, *Non potest civitas.*) Tali etiam lumine monet, fulgere Apostolos, ut ex admiratione operis eorum Deo laus impartiat: unde sequitur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 10. in opere imperf.) Id est sic

(1) *Al.* omittitur in. (2) *Al.* diversæ. (3) *Al.* testamenta. (4) *Al.* in candelabrum. (5) *Al.* quasi solventem, priusquam incurrat. (6) *Al.* ne autem. *Hic incipit, secundum Nicolajum, auctoritas Remigii infra notata.*

illuminare docentes ut non vestra tantum audiant verba, sed & opera videant, ut quos illuminaveritis per verbum quasi lux, conditiis per exemplum quasi sal. Per illos autem doctores qui docent, & faciunt, magnificatur Deus: nam disciplina domini ex moribus familiae demonstratur: & ideo sequitur: *Et glorificent Patrem vestrum qui in calis est.* *Augustinus* (Lib. 1. de *Serm. Domini* ubi supra.) Si tantummodo diceret, *Ut videant opera vestra bona*, finem constituisse videretur in laudibus hominum, quas querant hypocritæ; sed addidit: *Et glorificent Patrem vestrum qui in calis est*: ut hoc ipsum quod homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem constituat, sed referat ad laudem Dei; & propterea placeat hominibus ut in illo glorificetur Deus. *Hilarius* (can. 4. super illud, *Non potest civitas.*) Non quod ab hominibus oporteat gloriam querere, sed ut dissimulantibus nobis, opus nostrum his inter quos vivimus, in honorem Dei eluceat.

(m) *Glossa* (ord. super illud, *Nolite putare.*) Postquam hortatus est audientes, ut se præpararent ad omnia sustinenda pro justitia, & non absconderent quod accepturi erant, sed ea benevolentia discerent, ut ceteros docerent, incipit eos informare quid doceant, tamquam si quereretur: Quid est hoc quod non vis abscondi, pro quo jubes omnia tolerari? Numquid aliquid dicturus es extra ea quæ in lege sunt scripta? Ideo inquit: *Nolite autem putare quoniam veni solvere legem, aut Prophetas.* *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 10. oper. imperf. ad med.) Quod propter duas causas dicit. Primum ut discipulis his verbis ad suum provocaret exemplum, ut sicut ipse omnem legem adimplebat, sic & illi studerent implere. Denique futurum erat ut calumniarentur eum Judæi, (5) quasi legem solventem: unde priusquam incurrat calumniam, calumnie satisficit. (6) ne putaretur sic venisse ut simpliciter legem prædicaret, sicut Prophetæ fecerant. *Remigius*. Deo dixit: negat venisse se solvere, & affirmat venisse se implere; & ideo addit: *Non enim veni legem solvere, sed implere.* *Augustinus* (Lib. 1. de *Serm. Domini* cap. 14.) In hac autem sententia duplex est sensus: nam adimplere legem aut est addendo aliquid quod minus habet, aut faciendo quod habet. *Chrysostomus* in hom. 16. Implevit igitur Christus Prophetas, complendo omnia quæ per eos de ipso fuerant dicta; legem autem, primo quidem nihil transgrediendo legalium, secundo iustificando per fidem; quod

quod lex per litteram facere non valebat. *Augustinus* contra *Fauftum* (Lib. 19. cap. 7.) Demum etiam, quia sub gratia positus in hac mortali vita difficile erat implere quod in lege scriptum est (Exod. 20.) „Non concupisces,“ ille per carnis suæ sacrificium sacerdos effectus imperat nobis indulgentiam, etiam (1) hinc adimplet legem, ut quod per nostram infirmitatem minus possumus, per illius perfectionem curetur, cuius capitis membra effecti sumus. (Cap. 22. & 23.) Puto etiam sic esse accipiendum quod dicitur: *Non veni legem solvere, sed adimplere*, his videlicet additamentis, quæ vel ad expositionem pertinent antiquarum sententiarum, vel ad conversationem in eis. Aperuit enim Dominus, etiam iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidii genere deputari. Maluit etiam nos Dominus non jurantes non recedere à vero, quam verum jurantes appropinquare perjurio. (Lib. 17. cap. 1.) Sed cur, o Manichæi, legem non accipitis, & Prophetas; cum Christus (2) eos se non venisse solvere dixerit, sed adimplere?

Ad hoc respondet *Fauftus* hæreticus: Quis hoc testatur dixisse (3) Jesum? *Matthæus*. Quomodo ergo *Joannes* non id testatur, qui fuit in monte; *Matthæus* hoc scripsit, qui postquam *Jesús* descendit de monte, secutus est eum? Ad hoc *Augustinus* respondet: Si nemo de Christo vera dixit, nisi qui vidit eum, vel audivit, hodie de eo vera dicit nullus. Cum ergo ex ore *Joannis* non poruit vera *Matthæus* audire de Christo, si ex libro *Joannis* possumus vera loqui de eo nos tanto tempore post nati? Hinc enim non solum *Matthæi*, sed etiam *Lucæ*, ac *Marci* Evangelium, (4) & non impari auctoritate, receptum est. Huc accedit, quia & ipse Dominus potuit narrare *Matthæo* quod egerat, antequam eum vocasset. Aperte autem dicit, non vos credere Evangelio: nam qui in Evangelio non nisi quod vultis creditis, vobis potius quam Evangelio creditis.

Item *Fauftus* (Lib. 17. cap. 4.) Probeamus & *Matthæum* hoc non scripsisse, sed alium (5) nescio quem, sub nomine ejus. Quid enim dicit? (Intra 9.) *Cum transisset Jesús, vidit sedentem hominem ad telonium, Matthæum nomine.* Et quis ergo scribens de seipso dicit, *Vidit hominem*, & non, *Vidit me*? Ad quod *Augustinus* (Lib. 17. cap. 5.) Ita *Matthæus* de se, (6) tamquam de alio scripsit, sicut & *Joannes* fecit dicens (cap. 21.) „Conversus Petrus vidit, alium discipulum quem diligebat *Jesús*.“

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al.* hic. (2) *Al.* ad eos. (3) *Al.* Christum. (4) *Al.* ad non impari auctoritate receptum est. (5) *Al.* nescio quem suo nomine. (6) *Al.* antequam. (7) *Al.* veniret. (8) *Al.* deest enim. (9) *Al.* Hodie. (10) *Al.* nisi ad destructionem. (11) *Al.* in rebus. (12) *Al.* reddit hic turum.

Manifestum est enim hunc morem fuisse Scripturarum cum gesta narrarent.

Item *Fauftus* (Lib. 17. cap. 2.) Quid quod etiam ex ipso sermone quo præcepit, non putare quia (7) venerit legem solvere, magis intelligi datur quia solveret? Neque (8) enim nihil tale eo faciente Judæi suspicari hoc possent. Ad quod *Augustinus* (Lib. 17. cap. 6.) (9) Hoc quidem valde infirmum est: non enim negamus Judæis non intelligentibus videri potuisse Christum destructorem esse legis, & Prophetarum.

Item *Fauftus* (Lib. 17. cap. 2.) Quid quod etiam lex, & Propheta nec adimpletionem gaudet, cum in Deuteronomio (cap. 12.) dicatur: „Hæc præcepta quæ mando tibi observabis, nec addas quicquam eis, nec minuas?“ Ad quod *Augustinus* (Lib. 17. cap. 6.) Non intelligit *Fauftus* quid sit legem implere, cum hoc de verborum adjectione putat accipiendum. Plenitudo enim legis caritas est, quam Dominus dedit mittendo fidelibus Spiritum Sanctum. Impletur ergo lex, vel cum sunt quæ ibi præcepta sunt, vel cum exhibentur quæ ibi prophetata sunt.

Item *Fauftus* (Lib. 18. cap. 1.) Quod novum testamentum *Jesús* condidisse fateamur, quid aliud (10) quam destructionem fateamur veteris testamenti? Ad quod *Augustinus* (Lib. 18. cap. 17.) In veteri testamento figuræ erant futurorum, quas (11) rebus per Christum presentatis, auferri oportebat, ut eo ipso lex, & Prophetæ impleverentur, in quibus scriptum est, daturum Deum novum testamentum.

Item *Fauftus* (Lib. 18. cap. 2.) Hoc igitur si dixit Christus, aut aliud significans dixit, aut (quod absit) mentiens dixit, aut omnino nec dixit. Sed *Jesús* quidem mentium fuisse nullus dicat; ac per hoc aliter dictum est, aut nec omnino dictum est. Me quidem jam adversus capitulum hujus necessitudinem Manichæa fides (12) reddidit tutum, quæ principio mihi non cunctis quæ ex Salvatoris nomine leguntur scripta, passim credere persuasit. Esse enim multa zizania, quæ in contagium boni seminis, Scripturis pene omnibus noctivagus quidam seminator insparavit. Ad quod *Augustinus* (Lib. 18. cap. 7.) Manichæus docuit impiam perveritatem, ut ex Evangelio quod hæresim tuam non impedit hoc accipias, quod autem impedit non accipias. Nos autem docuit Apostolus (Gal. 1.) piam provisionem, ut quisquis nobis annuntiaverit, præter id quod acce-

X

Imis, & mathema sit. Dominus autem exposuit quod sint zizania, non aliqua falsa veris Scripturæ immixta, sicut tu interpretaris, sed homines filios maligni.

Item Faustus (Lib. 18. cap. 3.) Cum te Judæus interpellabit, cur legis, & Prophetarum præcepta non serves, quæ Christus dixit non se venisse solvere, sed adimplere; cogaris aut vanæ superstitioni succumbere, aut capitulum profiteri falsum, aut te Christi negare discipulum. Ad quod Augustinus (Lib. 18. cap. 7.) Nullas ex hoc capitulo catholici patiuntur angustias, quasi legis, & Prophetarum præcepta non ferrent: quia caritate Dei, & proximi habent, in quibus præceptis pendet lex, & Prophætæ. Et quæcumque ibi rebus gestis, vel sacramentorum celebrationibus, vel locutionum modis figurate prophetata sunt, in Christo, & Ecclesia compleri cognoscunt. Unde nec vanæ superstitioni succumbimus, nec istud Evangelii capitulum falsum esse dicimus, nec Christi discipulos nos negamus. (Lib. 19. cap. 16.) Qui ergo dicit: Si Christus legem, & Prophetas non solvisset, illa sacramenta legis, & Prophetarum in Christianorum celebrationibus permanerent: potest dicere: Si Christus legem, & Prophetas non solvisset, adhuc promitteretur nasciturus, passurus, resurrecturus: cum ideo magis hoc non solvisset, sed adimpleverit, quia jam non promittitur nasciturus, passurus, resurrecturus, quod illa sacramenta quodammodo personabant; sed annuntiatur quod natus sit, passus sit, resurrexerit; quod hæc sacramenta, quæ à Christianis aguntur, jam personant. Patet ergo quanto errore delirent qui putant, signis, sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diversas; quas ritus propheticus pronuntiavit promissas, & evangelicus demonstrat impletas.

Item Faustus (Lib. 19. cap. 1.) Quærendum est si hoc Christus dixit, cur dixerit: utrum ne compalpendi Judæorum furoris causa, qui sancta sua ab eo conculcati videntes, nec audiendum quidem eum existimabant; aut ut nos, qui ei credebamus ex Gentibus, instrueret legis subite jugum. (Lib. 19. cap. 2.) Si autem hæc non ei fuit causa dicendi, illa debet esse quam dixi; nec hoc ipsum mentitus est. Sunt enim tria genera legum. Unum Hebræorum, quod peccati, ac mortis Paulus appellat: aliud Gentium, quod naturale vocat, dicens (Rom. 1.) „Gentes naturaliter, quæ legis sunt, faciunt: „tertium est veritatis, de qua dixit (Rom. 8.) „Lex spiritus vitæ.“ Item Prophætæ alii sunt Judæorum, de quibus notum est; alii Gentium, „de quibus Paulus dicit (ad Tit. 1.) „Dixit quidam præprios eorum Prophætæ: „alii veritatis, de quibus Jesus dicit (infra 19.) Mitte ad

vos sapientes, & Prophetas. (Lib. 19. cap. 3.) Et quidem si observationes Hebræas adimplerent gratia protulisset, dubium non erit quin de Judæorum lege, & Prophetis dixisset; ubi vero sola recenseret antiquiora præcepta, id est „Non occides, non mœchaberis;“ quæ olim promulgata fuerant per Enoch, & Seth, & ceteros justos; cui non videatur hoc eum dixisse de veritatis lege, & Prophetis; Ubi vero Judæorum quædam visus est nominasse, penitus eradica vit, præcipiendo contraria, ut est illud (Exod. 21.) „Oculum pro oculo, dentem pro dente.“ Ad quod Augustinus (Lib. 19. cap. 7.) Manifestum est quam legem, & quos Prophetas Christus non venerit solvere, sed implere. (Lib. 19. cap. 19.) Ipsa enim est lex quæ per Moysen data est. Non autem, sicut Faustus opinatur, quædam Dominus adimplevit, quæ ab antiquis justis jam dicta erant ante legem Moysi, sicut (Exod. 20.) „Non occides;“ quædam vero solvit, quæ propria videbantur legis Hebræorum. (Lib. 19. cap. 18.) Nos enim dicimus, & hæc pro tempore bene fuisse tunc instituta, & nunc à Christo non soluta, sed adimpleta ut patebit per singula. Hoc etiam non intelligebat qui in ea perveritate manserunt ut Gentes cogerent judaizare, hæretici scilicet qui Nazareti dicuntur.

Chrysolomus sup. Matth. (hom. x. op. imp.) Quoniam vero omnia quæ ab initio mundi usque ad finem erant futura mystice erant prophetata in lege, ne videatur aliquid eorum quæ sunt, Deus non antea cognovisse, propterea dicit: Non potest fieri ut transeat cælum, & terra, donec omnia quæ in lege prophetata sunt, rebus ipsis fuerint adimpleta: & hoc est quod dicit: Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum, & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. Remigius, Amen, Hebræus sermo est, & Latine dicitur vere, fideliter, sive fiat. Duobus autem de causis hoc sermone utitur Dominus, sive propter duritiam illorum qui tardi erant ad credendum, sive propter credentes, ut profundius attenderent ea quæ sequuntur. Hilarius (can. 14. paulo ante medium.) Per hoc autem quod ait, Donec transeat cælum, & terra, cælum quidem, & terram maxima elementa non arbitramur esse solvenda. Remigius. Permanebunt enim essentialiter, sed transibunt per renovationem. Augustinus (Lib. 1. de Ser. Domini cap. 15.) Per hoc autem quod ait, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, nihil potest aliud intelligi nisi vehementis expressio perfectionis, quæ per litteras singulas demonstrata est; inter quas litteras jota minor est ceteris, quia uno ductu fit: apex etiam est ipsius aliqua in summo particula. Quibus verbis ostendit in le-

ge ad effectum & minima quæque perducit. Rabbenus. Apte. quoque Græcum jota, & non jod Hebræum posuit, quia jota in numero, decem significat, & Decalogum legis enumerat, cuius quidem apex, & perfectio est Evangelium. Chrysolomus super Matth. (hom. 10. in oper. imperf.) Si autem ingenuus homo vel in vili mendacio inventus fuerit, erubescit; & vir sapiens verbum quod dixit, non (1) relinquit in vacuum; quomodo verba divina sine exitu vacua poterant permanere? Unde concludit: Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Puto autem quod ipse Dominus manifeste hoc (2) respondit, quæ sunt minima mandata monstrans, dicendo: Si quis solverit unum de mandatis istis minimis, id est quæ modo dicturus sum. Chrysolomus in hom. (16.) Non enim pro veteribus legibus hoc dixit, sed pro his quæ ipse erat præcepturus; quæ quidem minima vocat, licet magna. Sicut enim multoties de se humilia locutus est, ita & de suis præceptis humiliter loquitur. Vel aliter Chrysolomus super Matth. (hom. 10. oper. imperf.) Mandata Moysi in actu facilia sunt: „Non occides, non adulterabis;“ ipsa enim criminis magnitudinem voluntatem faciendi repercutit: & ideo in remuneratione modica sunt, in peccato autem magna. Mandata autem Christi, id est Non irascaris, non concupiscas, in actu difficilia sunt; & ideo in remuneratione magna, in peccato autem minima. Minima igitur dicit (3) ista Christi mandata, „Non irascaris, non concupiscas;“ ergo illi qui levia peccata committunt, minimi sunt in regno Dei; id est, qui iratus fuerit, & grande peccatum non fecerit, à pena quidem securus est, scilicet damnationis æternæ; non tamen est in gloria, scilicet quam consequuntur illi qui etiam hæc minima implent. Augustinus (Lib. 1. de Ser. Domini cap. 16.) Vel è converso illa quæ præcepta sunt in lege, dicuntur minima; quæ autem Christus dicturus est, sunt maxima. Mandata autem minima significantur per unum jota, & unum apicem. Qui ergo solverit, & docuerit sic, id est secundum quod solvit minimus vocabitur in regno cælorum. Et fortasse ideo non erit, quia ibi nisi magni (4) esse non possunt. Glejja (ord. super illud, Qui solverit unum.) Solvere autem est non agere quod recte quis intelligit, vel non intelligere quæ depravavit, aut minuere integritatem superadditionis Christi. Chrysolomus in homil. (16. à medio.) Vel cum audieris minimum in regno cælorum, nihil aliud

suspicare quam supplicium, & gehennam. Regnum enim consuevit dicere non solum regni utilitatem, sed tempus resurrectionis, & adventum Christi terribilem. Gregorius in hom. (12. in Evang. Non veni, à princip.) Vel per regnum cælorum Ecclesia intelligenda est, in qua doctor qui solvit mandatum, minimus vocatur: quia cuius vita despicitur, resta ut ejus prædicatio contemnatur. Hilarius (can. 4. in Matth. à principio.) Vel minima dicit Domini passionem, & crucem: quæ si quis tamquam erubescenda non confitebitur, erit minimus, id est novissimus, ac pene nullus; confitenti vero, magnam in cælo vocationis gloriam pollicetur: unde sequitur: Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Hieronymus (super illud, Qui solverit unum.) Suggillat in hoc Phariseos, qui, contemptis mandatis Dei, statuebant proprias traditiones: quod non eis profuit doctrina in populo, si vel parvum quod in lege est destruant. Possimus autem & aliter intelligere, quod magistri erudicio etiam si parvo peccato abnoxia sit, deducit eum de gradu maximo; nec profuit docere justitiam quam minima culpa destruit; beatitudoque perfecta sit quæ sermone docueris, opere complete. Augustinus Lib. 1. de Ser. Domini, (cap. 17.) Vel aliter. Qui solverit illa minima, scilicet præcepta legis, & sic docuerit, minimus vocabitur; qui autem fecerit illa minima, & sic docuerit, non jam magnus habendus est; sed tamen non tam minimus quam ille qui solvit. Ut autem fit magnus, facere debet, & docere quæ Christus docet.

(n) Hilarius (can. 4. in Matth. cir. med.) Pulcherrimo ingressu opus legis cœpit excedere, aditum in cælum Apostolis, nisi iustitiam Phariseorum anteissent, denuntians non futurum; & hoc est quod dicit, Dico enim vobis. Chrysolomus in hom. (16. in initio.) Iustitiam autem hic dicit, universalem virtutem. Intende autem gratiæ adiutamentum: discipulos enim suos adhuc rudes magistris qui in veteri testamento erant, vult esse meliores. Scribas autem, ac Phariseos non dixit iniquos, quia non dissiliet eos habere iustitiam. Vide etiam quoniam hic vetus testamentum confirmat, comparationem faciens ejus ad novum; plus enim & minus ejusdem generis est. (Et hom. 11. in opere imperf.) Scribarum autem, & Phariseorum iustitiæ sunt mandata Moysi; super impletiones autem illorum mandatorum sunt mandata Christi. Hoc est (5) ergo, quod dicit: (6) Nisi quis supra legis mandata etiam hæc mea præcepta, quæ apud illos minima existimabantur:

(1) Al. inquit. (2) Al. ostendit. (3) Al. ita. (4) Al. deest esse. (5) Al. deest ergo. (6) Nisi quis legis mandata, & hæc mea præcepta, quæ ante illos minima existimabantur, &c.

impleverit, non intrabit in regnum cælorum: quoniam illa de pœna liberant, quæ scilicet transgressoribus legis debetur; non autem in regnum inducunt: hæc autem & de pœna liberant, & in regnum inducunt. Cum autem sit idem solvere minima mandata, & non custodire; quare supra de solvente dicit, quod minimus vocabitur in regno Dei; hic autem de non conservante; Non introibit in regnum cælorum? Sed vide quia minimum esse in regno idem est quod non intrare in regnum. Esse autem aliquem in regno non est regnare cum Christo, sed esse tantum in populo Christi; tamquam si dicat de solvente, quod inter Christianos quidem erit, tamen minimus Christianus. Qui autem intrat in regnum, fit participes regni cum Christo. Consequenter & iste qui non intrat in regnum cælorum, gloriâ quidem non habebit cum Christo, erit tamen in regno cælorum, idest in numero eorum super quos Christus cælorum Rex regnat. *Augustinus* 20. de Civitate Dei (cap. 19. cir. medium.) Vel aliter. *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum, & Phariseorum,* idest super eos qui solvunt quod docent, quia de his alibi dictum est (infra 23. *Dicunt enim, & non faciunt;* ac si dicat: *Nisi ita abundaverit iustitia vestra;* ut vos non solvatis, sed faciatis potius quod docetis, non intrabit in regnum cælorum. Alio ergo modo intelligendum est regnum cælorum, ubi ambo sunt, & ille scilicet qui solvit quod docet, & ille qui facit, sed ille minimus, ille magnus: quod quidem regnum cælorum est Ecclesia præfens. Alio autem modo regnum cælorum dicitur quo non intrat nisi (1) ille qui facit; & hoc est Ecclesia, qualis in futuro erit. *Augustinus* contra Faustum (a) Lib. 9. in fine lib. & cap. 30.) Hoc autem nomen (2) regnum cælorum, quod tam crebro nominat Dominus, nescio utrum in libris veteris testamenti quicquam inveniat: proprie enim pertinet ad revelationem novi testamenti, quod ori ejus etiam nominandum servabatur quem Regem ad regendum servos suos vetus testamentum præfigurabat. Hic ergo finis, quo præcepta referenda sunt, occultus erat in veteri testamento; quamvis secundum eum etiam tunc viverent sancti, qui futuram ejus revelationem videbant. *Glossa*. (3) Vel hoc quod dicit, *Nisi abundaverit,* referendum est ad intellectum Phariseorum, & scribarum, non ad continentiam veteris testamenti. *Augustinus* contra Faustum (Lib. 19. cap. 28.) Pene enim omnia quæ monuit, vel præceptit

(1) *Al. hic.* (2) *Al. regni.* (3) *Al. omittitur.* Vel hoc quod dicit. (4) *Al. non.* (5) *Al. gladius.* (6) *Al. Hoc ergo dicit,* ut provocet tardos auditores ad altiora præcepta: sicut si magister puerum pigritatem ad excellentiorem doctrinam provocans dicat: Multum tempus consumpsisti in syllabando, &c. (7) *Al. dicit* Prophetarum. *Ex edit. P. Nicol.* (a) Non eadem serie qua hic, sed intermixtis, ac transpositis verbis.

Dominus, ubi adjugebat, *Ego autem dico vobis,* inveniuntur & in illis veteribus libris. (Lib. 19. cap. 23.) Sed quia non intelligebant homicidium, nisi peremptionem corporis humani, aperuit Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum itari in homicidii genere deputari: unde subdit: *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides.* *Chrysostronus* super Matth. (1. tom. 11. oper. imperf.) Volens Christus ostendere quia ipse est Deus, qui aliquando locutus est in lege, & qui nunc mandat in gratia, illud mandatum quod ponitur in lege, ante omnia scilicet prohibitive, quæ sunt contra proximum, & (4) nunc ponit in principio mandatorum suorum. *Augustinus* 1. de Civit. Dei (cap. 20.) Non autem quod audivimus, *Non occides,* virgulum vellere nefas ducimus, secundum Manichæorum errorem, nec de irrationabilibus animalibus dictum intelligimus: quia iustissima ordinatione creatoris, vita, & mors eorum nostris usus subditur. Urde restat quod de homine intelligamus quod dictum est, *Non occides:* non alterum ergo, nec te: neque enim quis se occidit, aliud quam hominem occidit. Nequam autem contra hoc præceptum fecerunt qui auctore Deo bella gesserunt, ac personam generis publicæ potestatis iustissimè rationis imperio sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium obedienter occidere. Hi ergo excipiuntur quæ Deus occidi jubet five lege data, five ad personam pro tempore expressa iustione: non autem ipse occidit qui ministerium dat jubenti, sicut administratum (5) gladio utenti: nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quod latenter Spiritus hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. *Chrysostronus* in hom. (16.) Per hoc autem quod dicit, *Dictum est antiquis,* ostendit multum tempus esse ex quo mandatum hoc acceptant. (6) Hoc ergo dicit, ut auditores ad sublimiora progredi præcepta cunctantes acrius incitet, ut si quispiam doctor dicat puero negligenti, Nescis jam quantum temporis syllabarum meditatione consumpservis? Et ideo subdit: *Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* In quo considera legislatoris potestatem: nullus enim antiquorum (7) Prophetarum ita locutus est; sed sic, Hæc dicit Dominus: quia illi ut servi ea quæ sunt Domini annuntiabant; hic autem ut

Fi-

Filius ea quæ sunt Patris, quæ etiam sua sunt; & illi confervis prædicabant, hic autem suis legem ponebat. *Augustinus* 9. de Civit. D. (cap. x.) Dicit quidem sententia Philosophorum de animi passionibus. Stoicis enim non placet huiusmodi passionibus cadere in sapientem; Peripatheticis vero has passiones in sapientem cadere dicunt, sed moderatas, rationique subiectas; sicut cum ita præbetur misericordia ut iustitia conservetur. In disciplina autem Christiana non tam quaeritur utrum prius animus irascatur, aut tristetur; sed unde. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 11. in opere imperf.) Qui enim sine causa irascitur, reus erit; qui vero cum causa, non erit reus: nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. Iraque (1) qui cum causa non irascitur, peccat: patientia enim irrationabilis vitia feminat, negligentiam nutrit, & non solum malos, sed etiam bonos invitat uti juber. *Hieronymus* (super hoc verbo Domini.) Vel *racha* Hebræum verbum est, & dicitur *Kenos*, idest inanis, aut vacuum, quem nos postsumus vulgata injuria absque cerebro nuncupare. Signanter autem addidit, *Qui dixerit fratri suo:* frater enim nos ter nullus est nisi qui eumdem nobiscum habet patrem. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 11. in opere imperf.) Indigna (5) autem res est dicere hominem vacuum, qui habet in se Spiritum Sanctum. *Augustinus* (Lib. I. de Ser. Domini in monte cap. 19.) In tertio autem significantur tria, ira, & vox quæ iram significat, & in voce vituperationis expressio: unde dicitur: *Qui autem dixerit, Fatue, reus erit, gehenna ignis.* Gradus itaque sunt in istis peccatis: primo, ut quisquis irascatur, (6) motum retineat corde conceptum. Jam si extorsit vocem non significantem aliquid, sed animi motum ipsa eruptione testantem, plus est quam si ira surgens silentio premeretur. Sed adhuc plus est, si etiam verbum proferatur, quod jam certam vituperationem designat. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 11. in opere imperf.) Sicut autem nemo est vacuum qui habet Spiritum Sanctum, ita nemo est vacuum qui Christum cognoscit; sed si *racha* idem est quod vacuum, quantum ad sensum verbi, unum est dicere *fatue*, & *racha*; sed *disruptum* quantum ad dicentis propositum; *racha* enim verbum vulgare erat apud Judæos, quod non ex ira, neque odio, sed ex aliquo motu vano dicebant, magis fiducia causa, quam iracundia.

(1) *Forè* qui cum causa irascitur, non peccat. (2) *Al.* Irascendum ergo non est sine causa. (3) *Al. dicit* vox Græcis characteribus expressa: quod semel annotatum sit pro vocibus huiusmodi omnibus. (4) *Al.* & vituperationis. (5) *Al.* Indignum autem est dicere. (6) *Al.* & motum retineat corde conceptum. *Ex edit. P. Nicol.* (a) Non tantum ibi, sed quoad primam partem Lib. potius 9. cap. 1. est verbis paululum immutat, ut & ad illum Librum 9. remittit *Augustinus* in eo loco quem hic indicat S. Thomas.

die. Sed forte dices: Si *racha* iracundia causa non dicitur, quare peccatum est? Quia contentio causa dicitur, non adificationis: si enim nec bonum verbum dicere debemus nisi pro adificatione, quanto magis illud quod in se naturaliter malum est? *Augustinus* (Lib. I. de Serm. Dom. in monte cap. 19. à med.) Vide etiam nunc tres reatus, iudicii, concilii, & gehennae ignis: in quibus quosdam gradus factos admonet à levioribus ad graviora; nam in iudicio adhuc defensionis locus datur; ad concilium autem pertinere videtur sententiae prolatio, quando inter se iudices conferunt quo supplicio damnari oporteat; in gehenna vero ignis certa est damnatio, & poena damnati. Unde patet quantum interit inter iustitiam Phariseorum & Christi: ibi enim (1) occisio reum facit iudicio, hic autem ira facit reum iudicio, quod horum trium est levissimum. *Rabbanus* (super illud, *Reus erit gehenna ignis.*) Gehennam hic Salvator inferni cruciatum nominat, quam nomen traxisse putant à valle idolis consecrata: quae est iuxta Hierusalem, sepleta olim cadaveribus, quam & Josiam contaminasse in Libro Regum legimus. *Chrysostronus* in hom. (16.) Hic autem primum gehennae nomen posuit, postquam de regno caelorum supra dixerat, ostendens quod illud dare, est ex suo amore, hoc autem ex nostra desidia. Multis autem hoc grave videtur, si pro solo verbo tantam patiemur poenam: propter quod quidam dicunt hoc hyperbolice dictum esse. Sed timeo ne verbis hic nosmetipsos decipientes, illic opere ultimum patiamur supplicium. Non ergo ætiter hoc esse onerosum: plures enim poenarum, & peccatorum à verbis habent principium: etenim parva verba multoties homicidium pepererunt, & civitates integras everterunt. Nec enim parvum estimas, fratrem stultum vocare, auferens ei prudentiam, & intellectum, quo homines sumus, & ab irrationabilibus distamus. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 11. operis imperf.) *Vel reus erit concilio*; id est, ut sit unus ex concilio eorum qui adversus Christum fuerunt, sicut Apostoli in suis Canonibus interpretantur. *Hilarius* (can. 4. in Matth.) *Vel qui Spiritu Sancto plenum convicio vacuitatis insinuat*, fit reus concilio sanctorum, contumeliam Spiritus Sancti sanctorum (2) iudicium animadversione luiturus. *Augustinus* (Lib. I. de Serm. Domini cap. 19.) Quisquis autem dixerit, Quo graviore supplicio punitur homicidium, si gehenna ignis punitur convicium? cogit intelligi esse

(1) *Al.* occidentem. (2) *Al.* iudicium. (3) *Al.* totaliter.

Ex edit. P. Nicol. (a) *Gregorius* super Ezech. hom. 7. longe ante medium, non *Chrysostronus*, vel imperfecti operis Auctor hom. 11. à medio, ut prius tum in textu, tum ad marginem notabatur; hanc & sequentem citationem confundendo, quae transpositis verbis apud Auctorem reperitur.

differentiam gehennarum. *Chrysostronus* in hom. (16.) Vel iudicium, & concilium sunt poenae praesenti; gehenna autem poena futura. Ideo autem irae iudicium appositum, ut ostendat quod non est possibile hominem omnino esse sine passionibus; sed refragare eas possibile est: & propterea determinatam poenam non appositum, ne videretur (3) profus iram prohibere. Concilium autem posuit nunc pro iudicio Judaeorum, ne videatur semper nova inducere, ac peregrina docere. *Augustinus* (Lib. I. de Serm. Domini in monte cap. 19.) In istis autem tribus sententiis subauditio verborum intuenda est. Habet enim prima sententia omnia verba necessaria, ut nihil subauditur: *Qui irascitur*, inquit, *fratri suo sine causa*, secundam quosdam; in secunda vero, eum ait, *Qui autem dixerit fratri suo, Racha*, subauditur *sine causa*: nam in tertia, ubi ait, *Qui autem dixerit, Fatue*, duo subauditur, *fratri suo*, & *sine causa*. Et hoc est unde defenditur quod Apostolus Galatas vocat stultos, quos etiam fratres nominat: non enim id facit sine causa.

(o) *Augustinus* (Lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 20.) Si irasci non est fas fratri, aut dicere *racha*, aut *fatue*, multo minus in animo tenere aliquid, ut in odium indignatio converteretur: & ideo subdit: *Si ergo offeras munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, &c.* *Hieronymus* (super illud, *Si offeras*.) Non dixit, Si tu habes aliquid adversus fratrem tuum; sed *Si frater tuus habet aliquid adversum te*, ut durius tibi reconciliationis imponatur necessitas. *Augustinus* Lib. 1. de Serm. Dom. (cap. 20.) Tunc enim ipse habet adversus nos, si nos eum in aliquo laesimus: nam nos adversus illum habemus, si ille nos laeserit, ubi non est opus pergere ad reconciliationem: non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit injuriam; sed tantum dimittas, sicut tibi à Domino dimitti cupis quod ipse commiseris. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 11. in opere imperf. à med.) Si autem ille te laeserit, & prius rogaveris, magnam habebis mercedem. *Chrysostronus* in hom. (16.) Sed si aliquis propter amorem proximi ei reconciliari non curat, ad hoc eum inducit ut saltem ejus opus non remaneat imperfectum, & praecipue in loco sacro: unde subdit: *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* (a) *Chrysostronus* super Matth. (hom. 11. in opere imperf.) Ecce à discordanti-

tibus accipere non vult sacrificium. Hinc ergo perpendite quantum sit malum discordiae, propter quod & illud abijcitur per quod culpa relaxatur. (a) Vide autem misericordiam Dei, quomodo hominum utilitates amplius aspicit quam suos honores: plus enim dilexit concordiam fidelium quam munera: quando enim fideles homines aliquam disensionem habuerint, munus eorum non suspicitur, oratio (1) eorum non exauditur. Nemo enim inter duos inimicos potest esse fidelis amicus amborum; ideo & Deus non vult esse amicus fidelium, quamdiu inter se fuerint inimici. Et nos ergo fidem Deo non servamus, si inimicos ejus non diligimus, & amicos ejus odimus. Qualis autem praesens offensus: talis debet sequi reconciliatio. Si cogitatu offensus, cogitatu reconciliare; si verbis offensus, verbis reconciliare; si operibus offensus, operibus reconciliare. Omne enim peccatum quomodo committitur, eo modo de ipso poenitentia agitur. *Hilarius* (can. 4. in Matth. à med. illius.) Reconciliata autem humana pace reverti in divinam jubet, in Dei caritatem de caritate hominum transcurus. Et ideo sequitur: *Et tunc veniens, offeras munus tuum.* *Augustinus* (Lib. 1. de Serm. Domini cap. 20.) Si autem quod hic dicitur, accipiatur ad litteram, fortassis aliquis credit ita fieri oportere; si frater sit praesens: non enim diutius differri potest, cum munus tuum relinquere ante altare jubearis. Si vero de absente, & quod fieri potest, etiam trans mare constituto aliquid tale veniat in mentem; absurdum est credere ante altare munus relinquendum, quod post terrarum & maria pererrata offeras Deo. Et ideo profus intro ad spiritualia refugere cogimur, ut quod dictum est, sine absurditate possit intelligi, Deo acceptum esse non potest nisi fide fulciatur. Si ergo fratrem in aliquo laesimus, pergendum est ad reconciliationem, non pedibus corporis, sed motibus animi, ubi te humili affectu prostratas fratri in conspectu ejus, ejus munus es oblaturus. Ita enim, ac si praesens sit, poteris eum non simulato animo lenire veniam postulando; atque inde veniens, id est intentionem revocans ad id quod agere cœperas, offeras munus tuum.

(p) *Hilarius* (can. 4. in Matth. à med. illius.) Quia nullum tempus vacuum affectu placabilitatis Dominus esse permittit, cito in vitae nostrae via reconciliari nos adversario praecipit, ne in mortis tempus non inita pace tran-

seamus; & ideo dicit: *Esto consentiens adversario tuo cito dum es cum eo in via, ne forte tradat te adversarius iudici.* *Hieronymus* (super illud, *Esto consentiens.*) Pro eo quod nos habemus in Latinis codicibus, *Consentiens*, in Graecis scriptum est (2) *unoon*, quod interpretatur benevolus, aut benignus. *Augustinus* (Lib. 1. de Serm. Domini cap. 22.) Sed videamus quis sit adversarius, cui jubemur esse benevoli. Aut enim diabolus est, aut homo, aut caro, aut Deus, aut praecipuum ejus. Sed diabolo non video qualiter jubeamur esse benevoli, aut consentientes: ubi enim benevolentia, ubi amicitia; nec quisquam dixerit amicitiam cum diabolo esse faciendam; neque concordare eum illo expedit cui semel renuntiando bellum indiximus; neque consentire illi (3) oportet cui si nunquam consentissent, nunquam in istas incidissent. (4) *Hieronymus* (ibidem.) Quidam tamen dicunt à Salvatore praecipit ut simus benevoli erga diabolum, ne faciamus eum poenam sustinere pro nobis, quem dicunt pro nobis esse torquendum, si ei consenserimus vitia suggerenti. Quidam cautius disputant, in baptisate singulos pactum inire cum diabolo ei abrenuntiando. Si ergo servaverimus pactum, benevoli, & consentientes sumus adversario, & nequaquam in carcere recludendi. *Augustinus* (Lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 22.) Non autem video quomodo accipiam, ab homine nos iudici tradidi? Et etiam si occidendo quis hocuerit homini, non erit jam tempus quo concordet cum eo in via, id est in hac vita; nec tamen ideo non sanabitur penitendo. Carni vero multo minus video quomodo consentiens esse jubeamur: magis enim peccatores ei consentiunt; qui vero eam servituri subijciunt, non ei consentiunt, sed eam sibi consentire cogunt. *Hieronymus* (ibidem.) Quomodo etiam caro mittenda erit in carcerem, si anima non consenserit, cum & anima, & caro pati- ter recludenda sint, nec quicquam possit caro facere nisi quod animus imperaverit? *Augustinus* (Lib. 1. de Serm. Domini cap. 22.) Fortassis ergo jubemur (5) Deo consentire, quia ab eo peccando recessimus, ut adversarius noster dici possit dum nobis resistit: Deus enim superbis resistit. Quisquis ergo in hac vita non fuerit reconciliatus Deo per mortem Filii ejus, tradetur ab illo iudici, id est Filio, cui Pater iudicium dedit. Quomodo autem potest recte di-

(1) *Al.* enim. (2) *Al.* Synocon. (3) *Al.* debet. (4) *P. Nicolai* miserias. (5) *Al.* ideo. Ex edit. P. Nicol. (a) *Chrysostronus* super Matth. in opere imperf.